DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CYNANCHE TRACHEALI.

Mr Clarke

with the respects of

the author

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CYNANCHE TRACHEALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu; et
Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES YELLOLY,

ANGLUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC.

...geon Gen'l's Office
...LIBRARY
...V-230
...shington, D.C.

Αἱ δὲ κυνάγχαι, δεινόταται μέν εἰσι, καὶ τάχιστα ἀναιρέουσιν, ὁκόσαι μήτ' ἐν τῇ φάρυγγι, μηδὲν ἔκδηλον ποιέουσι, μήτ' ἐν τῇ αὐχένι, πλεῖστον δὲ πόνον παρέχουσι, καὶ ὀρθόπνοιαν· αὗται γὰρ καὶ αὐθημερὸν ἀποπνίγουσι, καὶ δευτεραῖαι, καὶ τριταῖαι, καὶ τεταρταῖαι.

HIPPOCRAT. Prognoſt.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

1796

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

AVUNCULIS ET AMICIS SUIS SPECTATISSIMIS,

NICOLAO DAVISON,

ARMIGERO,

DE ALNEVICO, IN NORTHUMBRIÆ COMITATU;

ET

NATHANAELI DAVISON,

ARMIGERO,

DE TWICKENHAM, IN MIDDLESEXIÆ COMITATU,

PRIMUM APUD NICÆAM, DEINDE APUD ALGERIUM,

CONSULI BRITANNICO;

HANC DISSERTATIONEM,

AMICITIÆ ET OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM,

GRATO ANIMO

CONSECRAT

JOANNES YELLOLY.

AVUNCULO ET AMICIS SUIS SPECTATISSIMIS,

NICOLAO DAVISON,

ARMIGERO,

DE ADDINGTON, IN NORTHUMBRIÆ COMITATU;

ET

NATHANAELI DAVISON,

ARMIGERO,

DE HOWICK-HEAM, IN MIDDLESEXIÆ COMITATU,

CLARISSIMIS AUTORIBUS DILECTIS AUCTORIUM,

CONSULI BRITANNICO;

HANC DISSERTATIONEM,

AUCTORIS OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM,

GRATO ANIMO

CONSECRAT

THE AUTHOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CYNANCHE TRACHEALI.

CORPUS humanum, morbis multis et gravibus ſemper opportunum, non iiſdem, omni ætate, eodem modo inficitur. Ætatis gradus, inter ſe multum diverſi, cum corporis magnitudine, robore et firmitate, tum animi vi et ſtabilitate, aliquos morbos, quodammodo ſibi proprios, videntur habere. Ex his, quidam infantiam et juveniles annos plerumque aggrediuntur; alii, provectiores et maturos

 infeſtare

infeſtare gaudent; alii, autem, ſeſe reſervant in ſenectutem, jamdudum annis et curis confectam et ſolutam. Multo fataliores ſunt morbi primæ ætatis, quam cujuſdam ſubſequentis; nam hominum major pars, eo tempore morti ſuccumbit. Hujuſce tempeſtatis igitur morbi, eo magis attentionem medicorum merentur, quo ſæpe, ex tenera ægrorum ætate, ſymptomatum origo et natura, non ſecus ac ſenſus qui ex illis oriuntur, neceſſario eos latent. Ex hac claſſe morbum ſelegi, quem nunc mihi in animo tractare eſt; qui, quamvis non frequentia ſua, magnam certe attentionem gravitate, et crebra fatalitate attrahere debebit.

Cynanche Trachealis, ante hujus ſeculi medium, parum cognita, vel parum ſaltem obſervata fuit. Non autem mihi perſuaſum habeo, morbum eo tempore novum eſſe; enimvero non abſimile videtur, quin eadem, quæ nunc ei arridere inveniuntur, omni priori tempore

pore etiam faviſſent. Apud antiquos, autem, quum morbi, inciſione cadaverum non explorati fuerunt, affectio localis quæ ſemper cynanchen trachealem comitatur, bene non potuit eſſe cognita, et morbus ipſe quodam alio probabiliter confuſus erat. Hoc magis veriſimile eſt, quoniam HIPPOCRATES * inter Anginæ ſymptomata, aliqua, quibuſdam, in noſtro morbo plerumque occurrentibus, perquam ſimilia, enumerat.

Multum mirandum eſt, hunc morbum, cui multi putaverunt, medicos operam non dediſſe, donec cel. HOMIUS ſuum opus eximium edidit, cognitum fuiſſe et deſcriptum multo ante, a BOERHAAVIO †, STRUVIO et TULPIO, et poſtea magis accuratè in 1749, a GHISIO medico Italico ‡.

DE-

* HIPPOCRATIS Prognoſticon, lib. iii. Coacæ Prænotiones, cap. xiv.

† Aphoriſmus 801.

‡ MICHAELIS de Angina Polypoſa, p. 7.

DEFINITIO.

Cynanche Trachealis ſic a CULLENO definitur: " Cynanche trachealis, reſpiratione difficili, inſpiratione ſtrepente, voce rauca, tuſſi clangoſa, tumore fere nullo in faucibus apparente, deglutitione parum difficili, et febre ſynocha." Hæc definitio, ad morbum diſtinguendum plerumque ſufficit; ſed MICHAELIS non in ea acquieſcit, quia quædam ex ſymptomatibus aliquando deſunt. Hanc definitionem itaque profert: " Anginam membranaceam, catarrhalem fiſtulæ aëriæ eſſe credo inflammationem, cum metaſtaſi materiei ad partem affectam lymphaticæ, quæ, niſi vel præmatura mors, vel remedia tempeſtivè adhibita impediant, in concrementum polypoſum abit *."

Hæc

* MICHAELIS, pag. 89.

Hæc autem ſuppoſitio, notitiam morbi non promovere videtur; nam ſigna evidentia et generalia, ſimul et quæ inter praxin utilia ſint, preterit, illaque tantum notat quæ diſſectio patefacit. Noſtri igitur eximii Noſologi definitio, multò melior æſtimanda eſt, quamvis morbum fortaſsè accuratius dignoviſſet, ſi excreationem purulentam et filamentoſam, quæ tam frequenter inter progreſſum ejus occurrit, notaverat.

HISTORIA.

Hujus morbi impetus, plerumque languore et moleſtia præceditur, et frequenter rigore cui calor ſuccedit. Interdum, autem, acceſſio ſubita eſt, pueros, vel inter ludendum vel dormiendum morbo adoriente; et nonnunquam tuſſis levis, aliave ſymptomata catarrhalia præcedunt,

dunt, quæ vix, aut ne vix quidem, advertuntur.

Si æger tam provectus ſit, ut quæ ſentit verbis exprimere poſſit, non infrequenter de dolore obtuſo, preſſura aucto conqueritur, et conſtrictionis ſenſu in trachea, cujus pars anterior et exterior aliquando leviter tumeſcit. Sæpe etiam adſunt tuſſis arida, aliaque ſigna catarrhalia; et plerumque obſervatur maxima ad ſomnum proclivitas. Facies mox rubet et tumet; ſitis urget, et caput dolet; pulſus fortis, durus ſit et frequens, febrisque generalis ingruit.

Reſpiratio, quæ ſub morbi initio quodammodo afficiebatur, frequenter ſubito, ſed frequentius gradatim difficilior ſit; donec tandem ſuffocatio ipſa minitatur. Majore moleſtia inter dormiendum, trahitur ſpiritus, quam inter vigilandum; ſomnus, itaque, brevis et abruptus eſt, et nonnunquam penitus ademptus.

Sonus

Sonus quidam reſpirationem comitatur, difficillimus deſcriptu, ſed tam peculiaris, ut omnes auctores, de hoc morbo tractantes, hunc, inter ſigna ejus certiſſima, enotaverunt; et aliqui, etiam, dignum cenſuerunt ut nomen morbo præbeat *. Sunt, in quibus vox iſta ſingulas inſpirationes comitatur; ſunt autem et alii, in quibus tum modo percipiatur, cum vel clamant vel tuſſiunt. CULLENUS hunc ſonum ei ex tubo æneo exeunti; HOMIUS, RUSHIUS, et ALEXANDER, galli cantantis, MICHAELIS gallinæ pipientis voci, comparaverunt; et RUSHIUS, ſonitum inter tuſſiendum productum eſſe, opinatur, qui apprimè canis latrantis eum refert.

Primo impetu morbi, ægroti ſæpe nauſea et vomitu afficiuntur. Manus pedesque interdum tument. Perſpiratio parciſſima eſt, et urina

* "The leading ſymptoms are the ſhrill voice and "difficult breathing. It may therefore be called *ſuffo-* "*catio ſtridula.*" HOME on the Croup, p. 34.

urina multum diminuta, ſed rubicunda. Sub fine, autem, urina magis copioſa fit, et ſedimentum mucoſum deponit. Quum fauces inſpiciamus, parum affectæ videntur. Tonſillæ et lingua nonnunquam leviter tumeſcunt, et muco obveſtiuntur; ſed deglutitio ſemper illæſa eſt. Cel. Rushius obſervat "Eruptionem "macularum rubrarum inter morbi progreſ-"ſum accidere, quæ levamen multum ægroto "profert. Hæc eruptio," continuat ille, "ap-"paret, evaneſcitque bis aliquando, vel ter, "morbo progrediunte *." Sed hoc phænomenon, ſi omnino in noſtro cœlo occurrat, certe rariſſimum eſt; nam a nullo alio auctore mentio de eo facta eſt.

Aliquando ſymptomata iſta multum et ſubito aggravantur; ſpiritus difficillimus, pulſus debilis fit, mollis et intermittens, miſerque repentina morte abripitur. Periculum, autem, imminens non raro avertitur, et omnia in meliùs

* Rush's Med. Inq. vol. i. p. 144.

liùs mutantur, concretiones tubulatas, vel filamenta quaſi dentata, tuſſis ope, rejiciendo. Levatio quamvis incerta, nulla cauſa evidente, interdum occurrit*.

Exitus funeſtus, leni omnium ſymptomatum aggravatione, accidere poteſt: Reſpirationis difficultate aucta, et augiente ſemper; extremis corporis tumeſcentibus et frigeſcentibus, dum ſudor copioſus ſeſe diffundit capiti et pectori; pulſu debili, frequente, vacillante, vel intermittente facto; ſpaſmisque multas partes graſſantibus. Quum res ita ſe habeant, plane apparet, mortem etiam inſtare.

Cùm morbus graviſſimus eſt, æger aliquando intra horas viginti quatuor, et frequenter intra duos vel tres dies, ei ſuccumbit. "Angi-" næ graviſſimæ quidem ſunt," ait medicinæ pater, " et celerrime interimunt, quæcunque " neque in faucibus, neque in collo quicquam

* Michaelis, pag. 13.

" conſpicuum faciunt; plurimum verò dolo-
" rem exhibent, et erecta cervice ſpirandi ne-
" ceſſitatem; hæ namque et eodem die, et
" ſecundo, et tertio, et quarto, ſtrangulant *."
Plerumque, tamen, ejus finis paulò remotior eſt; duobus vel tribus lapſis diebus, priuſquam indicia cynanchica ſeſe oſtendunt; quæ multos dies permanere, mortemque etiam ad duodecimum, decimum quartum, vel decimum octavum diem, inferre poſſunt. Nec exempla deſunt, ubi æger, ſpe ſalutis revertentis permulſus, quinta hebdomade cadet morbo †.

Cynanche trachealis, nec hæreditaria, nec contagioſa eſt, ut aliqui opinantur ‡; et quum multi in una familia eâ laborant, morbum contagione propagari non illicò inferendum; ſed cauſas prædiſponentes et excitantes, fortaſsè, omnibus æqualiter applicari. Nonnunquam

* Hippocratis Prognoſt. lib. iii.

† Michaelis, pag. 13.

‡ Buchan's Dom. Med. p. 606.

quam hic morbus epidemicè*, ſed plerumque ſporadicè tantum, graſſatur. Unum exemplum audivimus, quum omnes in familia pueri, ſed non puellæ, eo afficiebantur †.

Morbus noſter, a HOMIO cel. et MILLARIO, infantilem, poſt ablactationem, et puerilem ætatem ante duodecimum annum, adoriri dicitur. At documenta invenienda ſunt, ubi etiam adultos aggreſſus eſt ‡. Eundem invadere poteſt plus ſimplice vice; et quum ita fit, conſuetudine aliquando revertere ſolet, levi cauſa excitante tantum adhibita. Recidivus, autem, multò lenior invenitur §.

CA-

* BURSERIUS, de Medicina Practica, vol. iii. pag. 391. et 395.——GHISI a MICHAELE cit.

† GREG. Præl. Acad.

‡ Med. Comm. vol. vii. p. 338. GHISI et TULPIUS a MICHAELE cit. GREG. Præl. Acad.

§ ALEXANDER on Croup, p. 18.

CADAVERIS INCISIO.

Quemadmodum in cynanche tracheali, ſpirationis intercluſio, mortis cauſa eſt, optimo jure expectari poteſt, ut eadem externè exhibeantur, quam in ſuſpenſis vel ſubmerſis. Et ita res ſe habet; nam facies tumida eſt et livida, oculi turgidi et prominentes, collique venæ ſanguine inflatæ *.

Inciſo corpore, pulmones plerumque naturales reperiuntur; interdum, autem, materia alba vel purulenta repletæ; dum maculæ nigræ quæ aliquando apparent, gangrenæ incipientis indicia ſunt. Internæ parietes tracheæ, æque ac bronchiorum, plerumque obducuntur concretione tubulata, vel lamina materiæ flaveſcentis et pulpoſæ †, quæ perfectam imaginem

* MICHAELIS, p. 15.

† BAILLIE's Morbid Anatomy, p. 56.

ginem caveæ, refert, unde depromebatur. Initium interdum habet, ab larynge, unde ad bronchiorum ultimas ramificationes descendit. Nonnunquam, autem, infra eam paulò tantùm porrigitur; et quibusdam in exemplis infra laryngem originem ducit. Hoc corpus singulare, in crassitie, diversum est; interdum, non crustulam scriptatoriam superans; interdum, tracheæ universæ lumen ferè obturans; dum contrà, quamvis rarissime, in una parte tantum hujus canalis occurrit. Diversissimæ firmitatis est; nonnunquam durum et tenax; nonnunquam molle quasi semisolutum. Color plerumque albus, quamvis non desunt exempla, in quibus, maculatus vel niger fuit. Hæc membrana, non tracheæ firmiter adherere videtur; nam sine difficultate separari potest; et cùm remota fuerit, trachea ipsa, in conspectum prolata, plerumque inflammata apparuit *.

Pus

* Home, Cases 4. 7. 10. 11.——Salomon, Obs. I. ——Mem. London Med. Soc. vol. iv. art. 12.

Pus et mucus, in copia admodum varia, inter hanc membranam et tracheæ tunicam interiorem, ſæpe interponuntur. Plus minusve bronchias implent; quæ, æque ac trachea ipſa, non raro inflammatione afficiuntur. Effuſio ſeroſa, etiam, interdum occurrit, ſed rariſſimè.

Hoc corpus adventitium plerumque in trachea reperitur; ſed quum uno vel alio caſu defuerit, inflammationis præſentis ſigna, manifeſta fuerunt *.

DIAGNOSIS.

Signum eſt nullum pathognomonicum, ſemper in cynanche tracheali præſens, et ab omni alio morbo, ſemper diſtinguens; nam omnia

* Crawford Differt. Inaug. de Cynanche Stridula, pag. 9.

nia hæc ſymptomata, quæ in ejus hiſtoria locum obtinuere, uno, vel alio tempore defuere *; et vox ſtridula, plerumque tam diagnoſtica, non ſub ortus tempore ſemper eſt conſtans, et interdum a corporibus peregrinis, in aſperam arteriam elapſis, evenit †. Hujus itaque morbi de præſentia, quam plurium aliorum, non concludere licet, ex ſimplice ſymptomate tantum, ſed multis conjunctis. Exempla autem, quæ nunc protuli, tam rara ſunt, ut quæ judicium noſtrum non multum afficiant.

Morbi, quos ab hoc noſtro diſtinguere neceſſe eſt, eſſe videntur Catarrhus, quædam cynanches ſpecies, Pneumonia, quidam ſpirationis affectus, et obſtructiones tracheales et bronchiales.

Inter

* Michaelis caſum a Tulpio citat, quo etiam ſpiratio difficilis non occurrebat; non autem pro certo conſtat an hic caſus noſtro morbo referendus.

† Vide exemplum hujuſmodi in Homio, p. 49.

Inter *catarrhum* et cynanchen trachealem, termini non accuratè definiri poſſunt, uti in ſeipſos inſenſiliter ineunt, præſertim quoniam iis, eadem ſedes. Quum hi morbi, autem, ſuas formas induerint, diſtinctiones admodum prominentes ſunt; nam cynanche noſtra citò vocem propriam et ſpirationis difficultatem, recipit.

Quoniam *tonſillæ* in noſtro morbo, vix aut ne vix quidem tument, et deglutitio ſemper illæſa eſt, inter cynanchen *tonſillarem* et noſtram, diſtinctio ſatis liquet.

In *cynanche maligna*, autem, aliquando affectus quodammodo ſimiles ſunt. Iis in communi, fauces mucoſæ interdum obſervantur, et exſcreationes membranarum; colli et gutturis dolor et tumor, cutisque eruptio. Vox ſtridula etiam nonnunquam in cynanche maligna occurrit.

Sed

Sed ſymptomata catarrhalia, cynanchen trachealem, plerumque præcedunt. Gutturis dolor gravior et inferior eſt ; membranarum ſputatio ſemper ægroti morbum levat, non exacerbat ; ulcera in faucibus nunquam ſeſe oſtendunt ; nullaque ſigna ſunt illius ſtatus, cui medici nomen putreſcentis indiderunt. Præter hæc omnia, affectio laryngea magis conſtans eſt ; nunquam a contagione morbus exoritur ; et exanthemata, vix omnino inter progreſſum apparent. Vox ſtridula, quum cynanche malignæ comes ſit, ſemper noſtram cynanchen, etiam aggredientem, indicat.

Pneumoniæ alia ſedes, ſtridor non præſens, et ægrotorum diverſa ætas, inter hunc et noſtrum morbum ſatis dignoſcere videtur. In pneumonia, quoque, dolor, ſive pungens ſive obtuſus, præſertim ſub inſpiratione auctus, ſemper aliquem thoracis partem, infeſtat.

Aſthma vix, aut ne vix quidem, primis ætatis annis adoritur, ſemperque ſub paroxyſmis

graſſatur. Gutturis vel faucium tumor nullus, nec vox ſtridula eſt.

Aliqui auctores, morbum deſcripſerunt, infantibus proprium, et *Aſthma infantum ſpaſmodicum* dictum, cui morbo, ſymptomata quædam noſtri ſunt, ſed alia valde diverſa. Hoc malum, ex ſpaſmo oriri credunt. Non mihi autem certum videtur, an hic morbus primarius, an noſtri tantum varietas, ſit; multa, poſtea inter cauſam proximam dicenda, opinionem hanc ſuadent, et donec hujus morbi diverſa natura probetur, non diagnoſin tentare neceſſe eſt.

Pertuſſis, pueros ejuſdem ætatis quam cynanche noſter, adoriri ſolet; ſed magis gradatim accedit, certaque tempora ſervat; doloris et tumoris tracheæ, plane expers eſt; tuſſis longe gravior, ſed reſpiratio rariſſime difficilis eſt. Paroxyſmus, muci viſcidi exſcreatione, plerumque finitur.

Trachea

Trachea obſtructa eſſe poteſt, a corpore peregrino illapſo, vel tumore in eam premente *; ex quorum utroque, cynanches trachealis ſymptomata oriantur. Non autem male de his judicandum eſt, ſi acceſſioni illius ſubitaneæ, et dolori, et ſtrangulationis ſenſui, ſtatim caſu productis, animum advertamus; et quum hujus, hiſtoriam, pondus et moleſtiam conſideremus, haud ſecus ac generalem affectum qui neceſſariè ſubſequitur.

Concretiones tracheales, noſtro morbo non ſolum propriæ ſunt; nam in quibuſdam aliis interdum reperiuntur. In Aſthmate †, Pneumonia ‡, Phthiſi §, et Hæmoptyſi ‖, nonnunquam exſpuuntur. Sunt etiam, qui multum et

* Monro Præl. Acad.

† Phil. Tranſ. vol. vi. p. 182.——Greg. Horſt. vol. ii. Obſ. 4.

‡ Morgagni de Sedibus et Cauſis Morborum, Epiſt. xxi. lib. 2. ſect. 19, et 20.

§ Phil. Tranſ. vol. iii. p. 68, et 69.

‖ Phil. Tranſ. vol. vi. p. 181.

et diu, ſpiratione difficili, tuſſi gravi et ſymptomatibus febrilibus affecti, tandem, concretiones ſimiles exſcreaverunt *.

Difficillimum dicere, quæ ſigna diagnoſtica inter hos affectus et cynanchen trachealem proferri poſſint; vel potius, cur ſymptomata eadem quam in cynanche tracheali, non ſemper ſeſe oſtendunt. Veriſimile eſt, laryngem in noſtro morbo magis affectam eſſe, et concretionum cauſam, quæcunque ſit, majore vi agere, et ſymptomata multò graviora producere; quod ſuffultum eſt obſervando, tuſſiendum, ubi concretiones tracheales adſunt, ſed non noſtri mali indicia, frequenter levamen ferre, quamvis nil ejectum fuerit; quod WARRENUS eximius in locum concretionum mutatum, refert.

CAUSÆ

* WARREN on Bronchial Polypus. Med. Tranſ. vol. i. p. 409.

CAUSÆ REMOTÆ.

Quæcunque *pulmones debilitant* vel irritant, huic morbo CAUSÆ PRÆDISPONENTES æstimanda; hinc nuper laborantes pulmonum morbis, asthmate, catarrho vel rubeola, admodum ei opportuni sunt *.

Aër humidus etiam prædisponere dicitur; nam frequenter in locis paludosis morbus occurrit, sed non omnino quum desiccata fuerint †.

Loca maritima, imprimis hoc morbo, a HOMIO, infestari dicuntur; sed aliorum experientia, hanc opinionem non confirmat; nam sæpe in locis procul a mare, sævivit.

Ætas

* HOME, p. 35.

† "Hæc planities (Carse of Gowrie) nuper desiccata "fuit, et rariùs occurrit morbus." CRAWFORD de Cyn. Stridula, pag. 13.

Ætas infantilis, apprimè huic morbo opportuna eſt.

Conſuetudo tantum cynanche noſtro arridet, ut homines, qui ſemel, bisve morbo laboraverunt, ſemper ad eum maxime proclives, reddat. Cum in adulta, tum in prima ætate, hoc interdum obſervandum eſt *.

Ex CAUSIS OCCASIONALIBUS *frigus*, vel *frigus cum humiditate* conjunctum, præcipuæ ſunt; hinc morbus in his anni tempeſtatibus plerumque graſſatur, ubi hæ poteſtates noxiæ præcipue obveniunt †.

Exercitatio violens, vel quæcunque valde motum accelerat ſanguinis, morbum noſtrum excitare poteſt.

Vociferatio etiam, tracheam multum irritando, morbum concitare poteſt.

CAUSA

* GREG. Præl. Acad.

† HOME, pag. 34.

CAUSA PROXIMA.

Auctores, qui cauſam noſtræ cynanches explorârunt, de ea inter ſe plurimum diſcrepuerunt. Alii, ſpaſmo *, alii, inflammationi †, referendam eſſe, opinantur; quidam, autem, ſibi perſuaſum habent, duas eſſe morbi ſpecies; quarum una, ſpaſmo, altera, inflammationi, originem debet ‡.

Argumenta, pro hujus morbi natura ſpaſmodica, ſeſe in ſequentia reſolvere videntur.

1. Frequentes remiſſiones et exacerbationes, inter morbum, occurrere.

2. Antiſpaſmodica ſemper remedia efficaciſſima eſſe.

3. Membranam adventitiam non ſemper in trachea inveniri.

Non

* Millar on Aſthma.

† Home, Cullen, Michaelis, Alexander, &c.

‡ Rush.

Non omnino, autem pro comperto, habetur, remiſſiones et exacerbationes (1.) ſemper, vel neceſſariò, huic morbo obvenire; nam, quum HOMII et ALEXANDRI obſervata conſulemus, mentionem de his factam, non invenimus. Sed ſi concedatur contractiones laryngis ſpaſmodicas ſæpe obſervandas, non inde inferendum, aliis adverſis, morbum penitus eſſe ſpaſmodicum; nam inflammatio, ſub certis rebus, ſtimulus eſſe poteſt, cui ſpaſmus pendeat.

Nec antiſpaſmodicorum ſucceſſus (2.) tam frequens, hanc opinionem confirmare poteſt; quia non adhuc probatum eſt, non operari poſſe in morbo curando, ſpaſmum removendo, quaſi ſymptoma urgens, quamvis adventitium; æque ac in multis aliis morbis, ſymptomatis urgentis, etſi non primarii, ſublevatio, ſæpe curationem faciliorem reddat.—Sed priuſquam adhibita fuerunt antiſpaſmodica, ſanguis, ſæpe inter RUSHII *, et interdum inter MILLARII

* RUSH's Med. Inquiries, p. 145

MILLARII praxin, detractus fuit. MILLARIUS, autem, quamvis ſemper levamen aliquod, ex hoc remedio inveniebat *, uſum diſſuadet, quia curationem aliquando remorabatur. At non effectus miſſionis ſanguinis topicæ tentavit, quæ ſæpe utilis eſſe poteſt, etiamſi generalis detractio prohibenda ſit.

Si hic noſter morbus ex ſpaſmo penitus originem duxerit, *opium*, remedium ad ſpaſmos debellandos efficaciſſimum, ſemper certe adhibendum eſſet; ſed opio in primis morbi diebus, experientia repugnat.

Exempla, in quibus concretio trachealis (3.) omnino abeſſet, certe rariſſima ſunt; nam a MILLARIO dicitur, hanc concretionem ſemper inveniendam eſſe in ſecundo aſthmatis infantum ſtadio, quod, morbo a HOMIO cel. deſcripto, ideoque noſtro, convenit. Caſum præbuit AUSTIN, in quo, cadavere luſtrato, nuſquam reperta eſt membrana. Trachea, tamen,

* MILLAR on Aſthma, p. 42.

men, inflammationis ſigna præ ſe tulit *. Exemplum, etiam, ejuſdam rei, ELLERUS protulit.

Fatendum eſt, autem, non pro certo judicari poſſe, an morbus a MILLARIO et RUSHIO deſcriptus, ſub nominibus Aſthmatis infantum, et Cynanches trachealis ſiccæ, a noſtro morbo diſtinctus ſit, vel ejus tantum varietas. Quædam illam, quædam hanc opinionem ſuadent; et lis ſub judice permaneat, donec clare oſtendatur, membranam, vel plerumque in trachea adeſſe, vel ſemper abeſſe. Hanc, autem, membranam plerumque in trachea inveniri, obſervantia docet.

Phænomena morbi primaria, quæ vel ante mortem, vel ex cadaveris ſectione apparent, in cauſa morbi exploranda, duces optimi et certiſſimi ſunt. Natura concretionum trachealium autem, non ſecus ac ſigna mali generalia, opinionem, quæ morbum inflammationi refert, ſtabilire et confirmare videntur. At hæc res

* CRAWFORD de Cyn. Strid. pag. 9.

res clariùs apparebit, quum ea quæ, ſive ex *concretionum natura*, ſive ex *morbi ſymptomatibus ipſis*, deduci poſſunt, conſideremus.

NATURA ET ORIGO CONCRETIONUM BRONCHIALIUM. Primi auctores, qui animum ad earum naturam inveſtigandam adhibuerunt, has, vel vaſa ſanguinea, tuſſi rejecta*, vel tunicam tracheæ villoſam, ſeparatam et exſcreatam, æſtimaverunt †. Prima, autem, extiſpicia, utriuſque opinionis, fallaciam non potuerunt non demonſtrare; enim vaſa ſemper illæſa inveniuntur, et tunica villoſa firmiter partibus vicinis adnexa, quamvis aliquando a membrana obveſtiente, celata. Sed quanquam diſſectio non earum naturam patefecerat, neutram opinionem poſſe eſſe veram ſatis liquet, quoniam

* "Ramum *venæ arterioſæ* a phthiſico rejectum," &c. TULPIUS, lib. ii. Obſ. 3.—"Effudit inopinatò duos "inſignes *venarum* ramos." BARTHOL. cent. 3. hiſt. 98.

† WILKIUS, &c.

quoniam ægroti dolor, earum ſeparatione ſemper valde levatur, non augetur.

Concretionum naturam in animo verſans, cel. HOMIUS primum, originem mucoſam propoſuit; et hanc opinionem MURRAIUS et RUSHIUS aſſecuti ſunt. Sed de formatione paulò diſcrepant. HOMIUS* et RUSHIUS† opinantur, ut mucus in tracheam ſecretus ſemifluidus, per moram, aqua evaporata, durus et craſſus fit. Sed ſi aquæ exhalatio e muco, firmam tracheæ membranam producere poſſit, hæc materia ſæpe reperta eſſe poſſet, et in trachea, et naſi caveis, præſertim quum catarrho afficiantur; nam, tunc temporis, mucus majore quantitate ſecernitur et ſæpe accumulatur. Quæ, autem, objici poſſent, RUSHIUS proſpiciens, dicit: "Were the paſſages "of this organ (the noſe) leſs in our reach, it "is probable that a membrane reſembling "that found in the trachea, would be found "in

* Pag. 32. † Pag. 142.

" in it every twenty-four hours, especially " when it was affected with a cold." Sed hæc opinio, nec re ipsa, nec analogia fulcitur; nam nunquam in corpore hæ membranæ obveniunt, nisi morbus adest.

Murraius alium ejus formationis, modum proponit: Mucum, glandularum quodam languore, justo lentiùs secerni, adeo ut per moram concrescat *. At, si secretio in ratione vis glandulæ esset, non majorem, uti in nostro morbo, sed justo minorem, materiæ secretæ quantitatem, invenire possemus.

Mucus, autem, spissatus, non concretionem trachealem formare potest; nam ejus natura valde diversa est. Mucus concretus " in cru- " stas asperas et fragiles," abit †; facile cum aqua commiscet; et ita parum putredini opportunus, ut totum annum asservatus, non fœtorem

* Murraius de Polypis Bronchial. Nov. Com. Soc. Goetting. tom. iv. p. 55.

† Halleri El. Physiol. tom. ii. p. 362.

torem emisit *. Membrana tracheæ, ex altera parte, densa et firma, et aliquantulum elastica est; naturæ admodum putrescentis; et adhesionis adeo stipatæ, ut in aqua tepida, multos dies macerata, non solvebatur †.

Recentiora experimenta et observationes de hoc corpore adventitio, satis superque docent, id prorsus esse simile sanguinis coagulo vel glutini, hisque concretionibus in thorace, corde, abdomine repertis, et ubicunque adhesiones observantur ‡. Hoc, autem, corpus ex vasculis inflammatis, vel sanguine repletis, exoriri, permulta, sed præsertim sequentia, probare videntur.

1. Sanguinis

* Haller. ibid.

† Home, p. 38.——Phil. Trans. vol. iii. p. 68.

‡ Cullen's First Lines, vol. i. p. 350.——Monro Præl. Acad.——Morgagni de Sed. &c. tom. i. p. 425.——Baillie's Morbid Anatomy, p. 56, 57. and 79, 80.——Michaelis, p. 40.——Burserius de Medicina Pract. tom. iii. p. 396.

1. Sanguinis lympha coagulabilis vel gluten, non per vaſcula, quæ partes tenuiores ſanguinis tantum admittunt, pertranſire poteſt, niſi earum area amplificetur.

2. Larynx, trachea et bronchiæ, cùm ante, tum poſt membranæ formationem, ſigna inflammationis, ſæpe oſtendunt; vaſa turgida totæ ſuperficiei ruborem, fluida aucta tumorem et tenſionem, impertiunt.

3. Concretiones polypoſæ in aliis morbis præter noſtrum inveniuntur, ſed in his tantum, quibus inflammatio, vel primaria, vel acceſſoria, obvenit.

4. Similis materiei in aliis corporis partibus repertæ, analogia, polypoſæ originis opinionem fulcit; nam ſæpe a glutine e vaſculis inflammatis effuſo, pulmones cum pleura, cor cum pericardio, et inteſtina, vel inter ſe, vel cum peritonæo, coaleſcunt.

Inflammatio, autem, hanc effuſionem prægrediens et producens quum levis ſit, interdum

valde

valde obſcura eſt, et nullis ſignis dignoſcenda; ſed non hinc inferre licet, inflammationem plane deeſſe, et materiæ aliam originem eſſe petendam; nam in aliis morbis, e. g. Typho icterode, ſigna inflammationis vix niſi cadaverum incifione detegebantur *, et remedia quæ inflammationem debellare poſſunt, optimo ſucceſſu adhibebantur; ſæpe etiam in re anatomica, pulmones cum pleura coaleſcere inveniuntur, quamvis vix aut ne vix quidem unquam in pulmone laboratum eſt. In multis etiam exemplis, ubi arte inflammatio incitata erat, hæc membrana producebatur.

5. Interdum *pus* inter polypum et tracheam interponitur; quod ſæpe a HUNTER et BAILLIE obſervatum erat in caveis inflammatis, ex quarum

* "The lungs were highly inflamed: A circum-"ſtance the more extraordinary, as no ſymptom of "marked pulmonary affection could be perceived du-"ring the exiſtence of the diſeaſe."——CHISHOLM on Malignant Fever of Weſt Indies, p. 136.

quarum parietibus, lympham coagulabilem, antea adhærentem, ſeparaverat.

Symptomata generalia cynanches trachealis, æque ac natura concretionum, quæ in trachea inveniuntur, opinionem horum confirmare videntur, qui cauſam hujus morbi, tracheæ et partium vicinarum inflammationi referunt.

Impetui ejus adrident, affectus catarrhales prægreſſi; tempeſtas frigida, humida, mutabilis; ætasque infantilis, cujus morbi plerumque inflammatorii ſunt. Inſtar pyrexiarum aggreditur; pulſus, frequentia et robore, cutis calore, et faciei rubedine, comitatur; ſanguisque fere ſemper cruſtam inflammatoriam exhibet.

Quamvis ſatis conſtat, hunc morbum ex inflammatione pendere, tamen, certe, in explicandis multis ejus phænomenis, multum difficultatis eſt; nec minus exponere arduum eſt, cur phænomena eadem non in aliis morbis occurrunt, ubi eadem in trachea inveniuntur.

Quædam poteſt eſſe diverſitas, ex inflammationis diverſo gradu, et ſitu; ſed ut hæc, vel alia quæ diverſitatem producere poſſunt, nondum inveſtigata ſunt, parum nos, conjecturas de ea re, proferre decet.

Spaſmos, morbo noſtro progrediente, ſæpiſſime laryngem et fiſtulam aëriam infeſtare, multumque morbi ſymptomata augere, experientia docet. Non, autem, ſpaſmus in cynanche tracheali primarius eſt, ſed acceſſorius; et ex aliqua inflammationis poteſtate, non nobis explicanda, pendere videtur; nam inflammatione remota, ſemper ſpaſmus quoque removetur.

ALEXANDER, ſymptoma ſimplex inexplicatum relinquere nolens, opinionem, de ſpaſmi acceſſione, ſubſequentem profert: "That "an intermiſſion, when obſerved, depends "upon the exhauſtion of irritability in thoſe "muſcles which are ſpaſmodically contract-"ed; that the return of the paroxyſm de-

"pends

" pends upon a renewal of irritability; and " that the original cauſe of the ſpaſm, and of " courſe of the diſeaſe, is the inflammation " exiſting in the internal coats of the tra- " chea *."

Hæc autem, remiſſionis et exacerbationis explicatio, non conſentanea eſſe videtur principiis ab eo aſſumptis; nam quum muſculi laryngei, vim eorum irritabilem contrahendo amittant, hanc vim, non niſi ſtimulo, contractionem excitante, remoto, recuperare poſſunt: ſed quoniam ſtimulus, in quantitate eadem adeſt, irritabilitatis accumulatio, non magis fieri poteſt, ac fluidi electrici in conductorem electricam, dum teli cuſpidati apex, ei propius applicetur.

PROGNOSIS.

* ALEXANDER on Croup, p. 54.

PROGNOSIS.

Hujus morbi exitus ſemper metuendus eſt; nam reſpirationem, apprime vitæ neceſſariam, tantum afficit hæc cynanches ſpecies, ut non multum et diu urgere poteſt, quin fatalis ſit. Auctor recens, autem, docet, remedia tempeſtivè adhibita, morbum in quatuor ex quinque exemplis, removere poſſe *.

Præcipue infantibus, hic morbus lethalis eſt; partim, ut aliqui putaverunt, quia vires, ad reſpirationis obſtaculum removendum, deſunt.

Primus hujus morbi impetus, plerumque his qui ſequuntur, gravior eſt.

Morbus periculoſus videtur, prout ejus acceſſio ſubita vel gravis, et tempus quo auxilium accerſitum, plus minusve remotum eſt. Quo magis ſpiritus ſonora, et febris violens ſit, eo

* Alexander, p. 15.

eo magis eventus timendus eſt; "and if," ait HOMIUS, "we be not called till the third "or fourth day; if the breathing appears "much affected, the pulſe quick and weak, "the face red, great anxiety, and frequent "toſſing, the danger is great and preſſing. "But if we ſee the patient on the firſt or "ſecond day of the attack; if the breathing "is not very bad; the pulſe, though fre-"quent, ſtrong, and firm; and more eſpe-"cially, if the voice is only altered, in its "ſtronger exertions of crying or coughing, "but more natural in its common ſtate, we "may entertain hopes of a recovery."

Tuſſis ſicca ſemper periculum minatur, tuſſisque etiam quæ exſcreatione valde copioſa comitatur. Illa, plerumque membranam polypoſam formatam et firmam; hæc, depoſitionem valde copioſam eſſe, et ſtrangulationem inferri poſſe, docet. Non autem deſperandum

eſt

eſt quum ſymptomata maxime urgeant; nam interdum ad hoc temporis punctum, tuſſiendo rejicit æger, concretionum portiones, vel pus ipſum; quo fit ut redivivus, et nova quaſi vita imbutus, videtur. Levamen aliquando ſubminiſtratur, nulla cauſa evidente; at ſemper incertum et caducum eſt.

Vox ſtridula non metuenda, quum alia morbi ſigna penitus removeantur; cauſa enim prima remota, complures menſes vel annos, nonnunquam permanet *.

RATIO MEDENDI.

Nulli morbo, magis quam huic noſtro, remedia validiora, et ſimul tempeſtiviùs danda ſunt. Subitò, tam ſæpe fatale eſt malum, ut remedia parum valere poſſunt, niſi primo impetui obſiſtunt, et ita progreſſum prorſus impediunt.

Conſilia medendi intra quatuor indicationes proferri poſſunt.

I.

* Greg. Præl. Acad.

I. Febrem, vel inflammationem localem, removere.

II. Concretionem polypoſam in trachea formatam, ſeparare et ejicere.

III. Spaſmum occurrentem reſolvere.

IV. Strangulationem inſtantem præcavere.

Quamvis ſcientia noſtra de medicaminum in corpus humanum actione, intra limites arctos coarcetur, tamen, ut experientiâ docet, quoſdam effectus, quibuſdam medicamentis proprios eſſe, remedia in cynanche tracheali utiliſſima, ex ordine effectuum, vel poteſtatis quem indicationes nunc prolatas perficere habent, enumerabo.

I. Conſilium primum multis remediis expleri poteſt, quorum princeps æſtimanda eſt *venæſectio*. Hoc remedium, certe, in omni

morbo

morbo cautiſſime adhibendum ; et in hoc, ut in aliis morbis, affectus generalis violentia, pulſus vi et frequentia, corporisque habitu dirigendum. Eadem, quæ primum ſanguinis detractionem ſuadent, æque ac ejus color, itidem, et alia ad eum referenda, an neceſſe ſit idem repetere remedium, ſatis docent.

Multi, ſanguinem non mittendum, niſi febris adeſt violens, opinantur ; at in robuſtis et plethoricis, ubi multa eſt *diatheſis phlogiſtica*, de hoc remedio ad febrem generalem præcavendam, et ad corpus pro aliis medicaminibus parandum, bene ſperare licet. Sanguinis detractio generalis, raro topicam præcludere debet ; enim quamvis affectum generalem optime minuere accommodata ſit, tamen morbus localis, non niſi remediis topicis, ſæpe levandus. Laxis autem corporibus et debilibus, miſſio generalis non permittenda ; his itaque, topica apprime neceſſaria videtur, et multum ſæpe prodeſt, quia vix debilitat.

Efficaciſſimè

Efficaciſſimè fieri poteſt, ope hirudinum; quorum, octo, decem, vel duodecim, eodem tempore collo admovendæ; neque removendæ donec ſua ſponte decidant; et dein, etiam, ſanguinis e plagis ſtillicidium, aqua calida promovendum. Sæpe multum et ſubito, iis, æger levatus eſt. Spiratio facilior trahitur; faciei rubedo, colori pallido cedit; periculumque morbi multum diminuitur, ſi non penitus removetur.

Sibi perſuaſum habet MICHAELIS ingenioſus, ſanguinem de debilibus, et ubi febris vel nulla, vel mitis ſit, non etiam topice detrahendum. Hæc opinio, autem, non experientiæ, duci noſtro optimo, conſentanea eſt; nam quibuſdam in morbis, maxima etiam debilitate comitatis, inflammatio interdum occurrit, eademque remedia requirit, quaſi corpus validum et plethoricum eſſet. Hujus, exemplum apud noſtrates in typho, aliquando inve-

nitur; et apud Penſylvanienſes, et Indos Occidentales, eadem res, typho icterode, eximiè illuſtrata erat.

Homii clar. opinio eſt, evacuantia omnia non tantum inutilia, ſed periculoſa eſſe, quum membrana jam formata ſit, vel pus depoſitum, quia tunc temporis, pulſus plerumque debilis fit. Sed quamvis evacuantia generalia a debilitate prohibentur, tamen ſanguinis detractio localis, ſymptomatibus urgentibus, non poteſt non eſſe utilis eodem modo quam ad primum, ex ejus poteſtate in inflammatione removenda, quæ certe permanere poteſt, febre generali remota, et membrana partim formata. Nam ſi hujus membranæ origo inflammationi tribuatur, incrementum certe eidem cauſæ tribuendum eſt, et itaque eiſdem remediis debellandum. Si pro comperto haberemus, quum membrana formata, et vaſculæ actioni naturali reſtitutæ ſint, remedia inde omittenda; ſed dum in hac re admodum incerti ſumus, et adhuc magis, quoniam

niam inflammatio ipſa, cadavere inciſo, ſæpe reperta eſt, quamvis membrana etiam formata ſit, remedia, ſymptomatibus ingruentibus, adhibere neceſſe videtur.

Emetica ſæpe utiliſſima ſunt, non ſolum ad morbum impediendum, vel primo aggreſſu removendum, ſed etiam ad materiam adventitiam, cujuſdam ſit generis, e trachea ejiciendam. Eorum uſus, primo conſilio, tam meritò celebris eſt, ut in his locis ubi morbus frequenter obvenit, ſub primo impetu, optimo ſucceſſu, ſemper adhibeantur; pauci enim infantes morbo ſuccubuerunt, quibus tempeſtivè adhibita fuerunt emetica *. Exitum tam felicem hæc producere poſſunt, partim a ventriculo evacuando, magis autem corpus univerſum concutiendo, ſanguinem in omnes partes æqualiter propellendo, et ita omnem functionem, ſed præſertim perſpirationem, promovendo.

Quandocunque ſanguinem detrahere opus eſt, prius detrahendus, quam emetica adhibeantur.

Remedia

* Crawford de Cynanche Stridula, pag. 32.

Remedia veſicatoria, etiam, gutturi externo applicata, poſt ſanguinis detractionem, ſive generalem, ſive topicam, multum prodeſſe ſolent, cùm ad inflammationem removendam, tum ad ſpaſmum reſolvendum. "In levi-
"ore inflammatione," ait noſter GREGORIUS illuſtris, "ubi febris aut nulla aut leniſſima
"ſaltem adeſt, ſuper partem inflammatam
"impoſita, nullo omnino detracto ſanguine,
"ſæpe ad morbum ſummovendum ſufficiunt;
"et in graviſſimis etiam, ubi vehemens ſimul
"febris urget, ſanguine jam ſemel atque ite-
"rum fortaſsè miſſo, utiliſſima reperiuntur,
"et magnas et repetitas ſanguinis detractiones,
"alioquin ſolam ſpem atque profugium,
"minus neceſſarias reddunt, et magis præ-
"tereà levamen ſæpe afferunt quam maximæ
"ſanguinis detractiones; et ſimul valde in-
"firmis et exhauſtis optimè conveniunt, qui
"ſanguinis detractionem nullo modo tolerare
"potuiſſent *."

Inter

* GREG. Conſpect vol. ii. pag. 485.

Inter applicandum, autem, obſervatu dignum eſt, ut linteolus tenuis, vel carbaſus, inter emplaſtrum et vulnera a cantharidibus facta, interponi debet, ad præcavendum cantharidum abſorptionem. Opium, vel camphora, cum emplaſtro commiſtæ, eundem effectum ſemper producere dicuntur.

Alvus in hoc morbo ſemper cito ſolvenda eſt, vel lotionibus per anum infuſis, vel remediis ore ſumptis. Ex catharticis, permulta in uſu ſunt. Gratiſſima, autem, tantum adhibenda, ne fletus a remedio ingrato excitatus, et ita infans ſuffocatus ſit. Homius cel. hanc rem in animo verſans, magneſiam in tabellas cum ſaccharo confectam, præſcribit.

Alexander et Rushius, hydrargyrum muriatum mitem, multum laudant. Rushius, etiam opinatur, hoc medicamentum ſæpe ad morbum depellendum ſufficere; ut ex verbis apparet: " Our principal dependence ſhould

" be

" be upon this laſt medicine, (calomel). A " large doſe of it ſhould be given as ſoon as " the diſeaſe diſcovers itſelf, and ſmaller doſes " given every day while any of its ſymptoms " continue. The bark is ſcarcely a more cer- " tain remedy for intermittents, than calomel, " when thus adminiſtered, is in this ſpecies " of cynanche." Hoc remedium, ita adhibitum, ex ejus ſucceſſu inter praxin, certe apud noſtrates tentari meretur.

Fomenta ex aqua calida; vel *cataplaſmata* gutturi applicata, et *pediluvium*, aliquando, teſte HOMIO, utilia ſunt. Hæc autem remedia, non niſi acceſſoria æſtimanda.

Regimen antiphlogiſticum dictum, ſemper neceſſarium eſt; ſed frigus non nimis libere applicandum, ne tracheæ inflammationem augeat.

Cui referendi ſunt, *gaſis azotici* effectus, aëre atmoſpherico commiſti et inhalati, in hoc morbo

morbo curando *? An operatio ejus positiva? An tantum utilis sit irritationem in pulmones aliter ex aëre communi receptam, minuendo; non secus ac gas carbonicum acidum, ulceri, sive vulneri applicatum †, dolorem mirum in modum minuit; dum aër atmosphericum vel gas oxygenium dolorem valde auget?

II. Si morbus remediis supra recensitis resistat, quamvis et duos, vel tres dies perduret; si vox stridula et spiratio difficilis per idem spatium maneant, et tussis molesta sed arida sit; inde timendum est, membranam polyposam in trachea esse formatam; sed quum quasi membranulæ tussi rejiciuntur, non de hoc dubitandum, et secundæ nostræ indicationi respondere, nobis festinandum. Natura, aliquando, membranam illam adventitiam sponte rejicit, ægrotumque levat; et ars etiam, natura

* Townsend's Guide to Health, p. 103.

† Beddoes.

tura plerumque dirigenda, quo dolorem et periculum avertat, a remediis, quæ exſcreationem optime promovent, ſummo ope eniti debet.

Expectorantia varia, variis temporibus, in uſu fuerunt. Ex his, multa penitus inertia ſunt, et multa, ita actione tarda, ut nequaquam ſubito morbi periculo conveniunt. Inter prima, autem, facile æſtimanda ſunt *emetica*. "Omnia vomitoria medicamenta," ſi verba GREGORII iterum citare liceat, "ſive "plenam vomitionem, ſive nauſeam tantum "civerunt, exſcreationem a pulmone et aſ- "pera arteria plane promovent *." In his medicamentis adhibendis, magnopere cautum eſt in noſtro morbo, ne inter operandum ægrotus ſtranguletur.

Inhalatio

* GREGORII Conſpect. vol. ii. pag. 423.——Pro ſucceſſus emeticorum, in hoc morbo, inſigni exemplo, vide Act. Soc. Reg. Med. HAFN. vol. i. pag. 78.

Inhalatio vaporis aquæ tepidæ, vel puræ, vel aceto commiſtæ, interdum utilis eſt, expectorationem promovendo, materiam in trachea depoſitum molliendo, vel ſtimulum exſcreationi præbendo. In uno exemplo, aquei vaporis inhalatio, ex inſtrumento, cui nomen *Mudge's inhaler*, adultum e morbo eripere videbatur, concretionem polypoſam e trachea expellendo *.

III. *Spaſmi reſolutio* vix conſilium primatium, in noſtro morbo curando, putandum eſt, nempe, quia ſpaſmus in noſtro morbo ſymptomaticus eſt, et pendere videtur cuidam poteſtati quæ inflammationi, ſub certis rebus, propria eſt; itaque ſpaſmo melius obviam itum eſt, in cynanche tracheali, inflammationis remediis. Ubi autem ſymptomata multùm urgent, et morbus diu permanet, quamvis remedia optima præſcripta fuerunt,

* Med. Comment. vol. vii. p. 338.

ægroto ſimul valde debilitato, tum ex remediis quæ ſpaſmum relevant, auxilium petere fas eſt; nempe, balneo tepido; fomentis et veſicatoriis gutturi applicatis; vaporis aquæ calidæ inhalatione; vel remediis *antiſpaſmodicis* dictis.

Aſafœtida plurimum ab his laudatur, qui ſpaſmum pathognomonicum judicant, et magno ſucceſſu largiter adhibuiſſe dicitur.

De *opio* bene ſperare licet, ſub fine morbi, cum ſymptomata inflammatoria ſubſiderunt; nam citius adhibitum, ea ſymptomata auget; non ſecus ac in febribus, aliiſque inflammationibus, ubi primis diebus præſcriptum, plerumque pernicioſum eſt *.

IV. Si autem dyſpnœa, aliaque morbi ſymptomata, non tantum omnibus medicamentis reſiſtant, ſed multum aggravantur et aggravari pergant,

* Greg. Præl. Pract. et Clin.——Rutherford, Præl. Clin.

pergant, et ſtrangulationem etiam ægroto minitentur, ad *bronchotomiam*, quaſi ultimam ſpem, confugiendum eſt. Sive ex muſculorum laryngis ſpaſmo, ſive ex tracheæ tantum obſtructione ſuffocatio imminet, multum ex hac operatione ſperandum eſt. Nam ſi ab alio, periculum oriatur, reſpiratio inde liberè effici poteſt, rivulo aëris, a larynge, ad vulnus averſo; at ſi ab alio, corpus obſtruens fortaſſe removeatur. — Tuto, certè, bronchotomia perficiatur, ut multa exempla ſatis ſuperque docent; ſed niſi cito peracta ſit, nil auxilii expectandum eſt. Quo minus autem hæc operatio perficiatur, quamvis ſola ſalutis ſpes reliqua, ſæpe obſtiterunt, et ſæpe, timendum eſt, obſtabunt, ægroti horror, parentumque reformidatio.

FINIS.